



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio I. De Sacramento Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QVÆSTIO I.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DVBIUM I.

Virum sit in Ecclesiâ verum, & propriè dictum Sacramentum pœnitentiæ ab alijs Sacramentis distinctum?

1.

Negarunt Montanistæ.

Novitiani.

Et nostri temporis hæretici.

2.

Conclus. affirm. est de fide. Florent. Trid.

Cap. firmiter.

Prob. 1.

Hoc Sacramentum olim negarunt Montanistæ teste Hieron. epistolâ ad Marcellam, de erroribus Montani. hos secuti sunt Novitiani à Nouato ita appellati, negantes esse in Ecclesiâ potestatem peccatores reconciliandi, ut colligitur ex Ambrosii lib. 1. de pœnitentia cap. 2. videri etiam potest Socrates lib. 4. historiarum cap. 23. hos sequuntur hæretici nostri temporis, præsertim Calvinistæ reiicientes Sacramentum pœnitentiæ, & docentes peccata post baptismum commissâ condonari per eiusdem baptismi memoriam, ut videre est apud Calvinum lib. 4. institutionum cap. 19. §. 15. & sequentibus. videri potest Bellarminus lib. 1. de pœnitentia cap. 9. ubi ostendit Lutherum & Melancthonem tandem sensisse pœnitentiam esse Sacramentum.

Resp. & Dico datur in Ecclesiâ verum, & propriè dictum pœnitentiæ Sacramentum. est de fide, definitum in Florent. decreto de Sacramentis, ubi pœnitentia connumeratur alijs Sacramentis. in Trident. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere & peculiariter sess. 14. can. 1. in hæc verba: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesiâ pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, anathema sit, & can. 2. definitur esse distinctum à baptismo. videri potest cap. firmiter §. una verè, de summa Trinitate, & fide Catholica.*

Probatur 1. Christus Dominus Ioannis 20. dicit discipulis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* ubi tradi potestatem remittendi peccata in Sacramento pœnitentiæ semper intellexit Ecclesiâ, ipsumque Trident. sess. 14. can. 3. definit prædictum locum ita intelligendum, quod ostenditur eo loco datur hominibus potestas in Ecclesiâ permanens remittendi, vel retinendi peccata, ergo datur potestas homines reconciliandi; exercitium autem huius potestatis debet esse per aliquod signum sensibile, cum ea potestas detur hominibus respectu congregationis sensibilis, ergo eo loco institutum est signum sensibile, quo homines per sacerdotes Deo reconcilientur, quod signum sit ordinarium, & in Ecclesiâ permanens: illi vero signo, quod est ex parte sacerdotis, responderi signum ex parte pœnitentis, nam potestas remit-

tendi, & retinendi non potest exerceri ab homine sine causâ cognitione, cum homo non possit prudenter iudicare se posse remittere, vel retinere, nisi alter exhibeat aliqua signa. ex his conficitur loco citato Ioannis institutum esse aliquod signum sensibile ordinarium, per quod homines possint Deo per sacerdotes reconciliari.

Dicunt hæretici eo loco agi de remissione peccatorum per prædicationem, quod confirmant ex eo quod idem ministerium remittendi significetur apud Ioannem cap. 10. & apud Lucam cap. 24. cum Christus dicit: *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

Respondeo id dici non posse

1. Quia potestas prædicandi non est potestas remittendi.

2. Si per illam Ioannis sententiam solum daretur potestas prædicandi remissionem, & hoc sensu diceretur: *Quorum remiseritis &c.* quisquis posset alium ad virtutem exhortari, dici posset eidem peccata remittere ad sensum Scripturæ citatæ, quod planè est alienum à ratione, quia si hoc dicitur, Christus non potest dici illam peculiarem potestatem dedisse Apostolis. certè insufflatio in Apostolos & concessio Spiritus Sancti designat aliquid peculiare eis concessum, transmittendum certo hominum generi, non verò quod posset cuilibet convenire respectu alterius.

3. Iuxta prædictam explicationem non potest aptè ostendi quid sit potestas retinendi: neque enim potest dici retinere peccatum alterius, qui eum non exhortatur. præterea loco Ioannis citatur potestas in quolibet baptizatos, ita ut quilibet lapsus in peccatum post baptismum debeat alicui subiacere, si velit consequi veniam peccatorum, quod iuxta dictam explicationem dici non posset: nam homo doctus, & qui esset sufficienter instructus, nulli esset subiiciendus; nec vilius posset eius peccatum retinere, cum nullius indigeret prædicatione, ut crederet peccata sibi remissa, in quo nullus posset retinere peccata etiam indocti, cum homo per concionem iuxta principia hæreticorum solum hoc sensu peccata possit remittere, quod possit excitare fidem de remissione peccatorum, & serinare, quod sua concione non excitet, atqui ad huiusmodi fidem excitandam non opus est concione, cum quilibet quantumvis rusticus, & indoctus facile possit ex se fidem ab hæreticis requisitam in seipso excitare.

Ad confirmationem resp. negando assumptum, nec hæretici facile id probabunt, cum ex forma loquendi utriusque loci facile appareat diversitas ministerij. apud Lucam dicitur quod debuerit prædicari pœnitentia in remissionem peccatorum, id est ad agendam pœnitentiam ad consequendam peccatorum remissionem; apud Ioannem verò datur potestas remittendi, quæ statim vnicuique apparent diversa.

Probatur 2. propositio ex Patribus Ambrosii lib. 1. de pœnitentia cap. 7. *Cui baptizatis, si per hoc et per minem peccata dimitti non licet? in baptismo remissionem peccatorum omnium est, quid interest utrum per pœnitentiam aut per lavacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? unum in utroque mysterium est.* Hieron. epistola 1. ad Heliodorum: *Alibi ut de his quidquam sensum loquar, qui Apostolico gradui succedentes*

cedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claves regni celorum habentes quocumque ante diem iudicii indicant. Chrysostomo lib. 3. de sacerdotio: Neque enim solum cum nos regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Augustino lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 16. Si à catechumeno factum est (scilicet homicidium) baptismo abluitur, si à baptizato, penitentia & reconciliatione sanatur, Leone epistola 91. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per penitentia medicinam spes vite reparetur aeterna. idem denique semper tenuit Ecclesia.

Ex his verò non solum patet penitentiam esse Sacramentum, sed etiam esse distinctum à baptismo. patet ex Florent. enumerante septem nouæ legis Sacramenta, & agente de singulis, tanquam de distinctis, item ex Trident. sess. 14. can. 2. & ex §. una vero cap. firmiter cit.

2. Ex Patribus tum citatis, tum aliis, qui etiam agnoscunt Sacramentum penitentia distinctum à baptismo.

3. In baptismo non fit peccatorum remissio per modum iudicii, sicut fit in penitentia.

Dices aliqui Patres locum Ioannis cit. applicant baptismum respectu infidelium.

Resp. aliquos quidem ita applicare, sed minus propriè, & non excludere explicationem à nobis allatam, sicut hæretici conantur excludere, quod est notandum.

Interdum enim Patres applicantes aliquem scripturæ locum materiæ, quam pertractant, minus litteraliter, & propriè accipiunt: non tamen intendunt alium scripturæ sensum excludere, & tradere sensum à se allatum esse germanum, & solum litteralem. quâ in re fucum sæpe faciunt hæretici, qui contra apertas Patrum interpretationes, & communem Ecclesiæ sensum ita sententiâ alicuius patris vtuntur, quasi ea sola contineat sensum litteralem alicuius scripturæ, quam passim Doctores contra illos afferunt.

Ex his etiam patet penitentiam non esse memoriam baptismi.

1. Penitentia est Sacramentum; hæc autem memoria non est Sacramentum, cum non necessariò sit signum sensibile.

2. Patres docent remissionem peccatorum post baptismum nobis donari per sacerdotes; hæc autem memoria non indiget sacerdotum ministerio, vt faciliè patet, nullus enim indiget operâ sacerdotum, vt baptismus susceptus reducatur illi in memoriam.

3. Nullus tenetur reducere in memoriam suum baptismum, vt iustificetur: cum tamen Sacramentum penitentia sit necessarium ad iustificationem, vnde enim vel ex scripturâ, vel ex veteris Ecclesiæ sensu potest elici necessitas huius memorie, vt quis consequatur iustitiam? Calviniani in his, & similibus parum conformiter suis principiis procedunt: si enim solâ fide iustificemur (vt censent) vt quid opus est memoriâ baptismi? cum possimus perfectè apprehendere nobis remitti peccata, quamuis non reducamus in memoriam baptismum susceptum, nec illius recordemur.

4. Patres docent penitentiam esse baptismum laboriosum, item lachrymarum, quâ loquendi formâ volunt ostendere quod penitentia Sacramentum differat à baptismo, quia in baptismo re-

missio peccatorum facilius acquiritur, quam in penitentia, in quâ non nisi cum magno labore obtinetur. certè si solâ baptismi memoriâ remitterentur peccata post baptismum commissa, remitterentur sine omni labore, imò facilius, quam in baptismo, quod est alienum à sensu Patrum. denique hoc medium acquirendi remissionem peccatorum vsque ad Caluini tempora fuit inauditum.

Quod tamen penitentia non sit aliud Sacramentum à baptismo probari potest 1. quod Luca 3. Ioannes Baptista dicatur prædicasse baptismum penitentia, & Actorum 2. baptizandi iubeantur prius penitentiam agere.

Resp. nihil ad rem facere, nam priori loco D. Ioan. agit de suo baptismo, non autem de baptismo Christi: vocat autem baptismum penitentia, eò quod per illum homines præpararet ad penitentiam, & per consequens ad remissionem peccatorum impetrandam. ad posterius dico inde quidem haberi ad id peccatorem debere penitere, vt baptismum legitime suscipiat, & per eum consequatur peccatorum remissionem: non tamen haberi penitentiam post baptismum peragendam, de quâ etiam agit scriptura, & Patres, esse solam baptismi memoriâ.

De eadem penitentia præmittendâ baptismi intelligendi aliqui patres, vt Fulgentius de fide ad Petrum cap. 30. cum vocat baptismum fidei, & penitentia, solum enim vult docere in adulto requiri fidem, & penitentiam criminum admissorum, vt is sit legitime dispositus ad baptismum vtiliter suscipiendum, non verò vult peccata post baptismum commissa nullo alio remedio remitti, quam baptismi vel eius memoriâ.

Contra facit, quod August. lib. 1. de nuptiis cap. 33. doceat baptismum remittere peccata, quæ post eius susceptionem committuntur.

Respondeo quod August. censet penitentiam esse aliud Sacramentum à baptismo, & peccata post baptismum commissa per illud remitti, satis patet ex loco à nobis in probatione conclusionis citato & alibi. vnde ad locum qui opponitur, dico Augustinum ibi non velle peccata post baptismum commissa propriè per illum remitti, sed solum baptismum esse necessarium vt alicui fiat peccatorum remissio: cum enim baptismus sit ianua sacramentorum, sine cuius actuali susceptione nullus potest per alia Sacramenta consequi remissionem peccatorum constat eum aliquo modo esse necessarium ad remissionem peccatorum etiam illam, quæ fit per penitentiam, id patet ex discursu Augustini.

Contra ipsam conclusionem varia obiciunt hæretici, quæ videre licet apud Valentiam disp. 7. quæst. 1. puncto 1. quæ si bene perpendantur, statim apparebit nullius esse momenti.

1. Quod in vsu penitentia nulla sit res externa, ad quod dicendum eos non posse ostendere, quod ea in singulis Sacramentis requiratur; nec obstat quod adferunt ex August. tractatu 80. in Ioannem: *Accedis verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, quia id ab August. de solo baptismo dictum est, vt alibi notauimus.

2. Quod per Sacramentum penitentia homines auocentur à Christo, ad quod dicitur potius ad eum vocari, dum cupiunt sibi applicari medium ab eo institutum, & quod vim suam ex Christi meritis, & passione obtinet.

7.

Obiectio

Resp. & explicatur locus. Luc. 3.

Explicatur locus. Act. 2.

8.

Prima obiectio hæreticorum. Resp.

Secunda.

Resp.

Fff 2

3. Quod

Tertia.
Ador. 26.

Resp.

3. Quod Apostolus Actorum 26. dicat se non annuntiare aliam penitentiam, quam annuntiant Prophetae.

Respondetur nihil inde confici, cum non sequatur: non annuntiavit Sacramentum penitentiae, ergo illud non datur. quia Apostolus non iudicavit quidquam de eo praedicandum illis, quos ad fidem invitabat, & exhortabatur, eo quod non iudicaret eos capaces illius mysterij.

Quarta.

Ioan. 20.

4. Quod Christus miserit discipulos ad homines reconciliandos, sicut ille missus erat à Patre, ut patet Ioannis 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Christus autem non reconciliavit homines ministerio alicuius Sacramenti, sed praedicando Evangelium, ad quod

Resp.

Respondetur si quidquam valeret argumentum, evertetur mysterium humanae redemptionis, quia iuxta minorem Christus solum fuisse Doctorem, non verò redemptorem, neque passum fuisse pro peccatoribus, quod est expresse contra fidem, vel si maior sit vera ad sensum haereticorum, Apostoli potuerunt instituere Sacramenta, cum Christus ea instituerit, potuerunt perficere pro genere humano satisfacere, quemadmodum Christus pro eo satisfecit, negatur ergo maior, si intelligatur, quod missi fuerint ad homines eodem modo reconciliandos: Christus enim missus est cum potestate excellentiae, per quam etiam sine villo signo externo posset peccata remittere, alij missi sunt à Christo tanquam eiusdem ministri, qui homines reconciliarent medijs ab eo institutis, ad minorem dico particulam, sicut, Ioannis 20. non designare, quod eodem planè modo mittat Apostolos & cum eadem potestate excellentiae, cum quà missus est, sed quod eos tanquam suos ministros mitteret, quibus aliquo modo communicaret potestatem homines reconciliandi, scilicet per media à se instituta.

Quinta.

Resp.

5. Quod ante Gratiani tempora non videatur fuisse certum in Ecclesia, num secreta confessio peccatorum esset necessaria, ut patet ex distinctione primà de penitentia, in quà postquam varias in utramvis partem de ea quaestiones recitasset sententias, videtur rem dubiam relinquere.

Respond. ex illà sententià illius distinctionis vel leuiter colligi posse dubium fuisse in Ecclesia, num penitentia esset Sacramentum, sed ut summum solum fuisse dubium, nam contritio ante confessionem posset iustificare, pro qua quaestione Gratianus varias ac in speciem repugnantes adfert sententias: quae tamen, si considerentur, non repugnant, aliquae enim asserunt per cordis contritionem remitti peccatum, quae tamen medium & obligationem instituendae confessionis sacerdoti non excludunt, aliae requirunt confessionem, quia scilicet in noua lege omnia mortalia post baptismum commissa clauibus Ecclesiae sunt subicienda, & sacerdoti aperienda, quantumvis homo per contritionem eorum remissionem fuerit consecutus, denique alijs negatur necessitas peccata publicè confitendi.



DV BIV M. II.

Quandonam fuerit institutum Sacramentum penitentiae?

Petrus Oxoniensis docuit illud esse Sacramentum naturae, quantum ad collationem gratiae, non verò alicuius institutionis veteris, vel noui Testamenti, ut patet ex nona eius conclusionis damnata ab Archiepiscopo Toletano, iussu Sixti 4. quae condemnatio ab eodem Sixto fuit confirmata.

Dico 1. penitentia est Sacramentum nouae legis, patet ex Florent. decreto de Sacramentis, & Trident. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, item quia de fide est esse à Christo institutum.

Ex quo sequitur quod etiam ut collatum gratiae sit nouae legis, cum non potuerit hanc vim habere ante sui institutionem, per quam factum est ut esset Sacramentum.

Dico 2. Sacramentum penitentiae est institutum post resurrectionem, quando Christus Ioannis 20. inuoluens in discipulos dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittantur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

Probat, constat eo loco datam Apostolis potestatem remittendi peccata in Sacramento penitentiae, ut definit Trident. sess. 14. cap. 3. ergo Sacramentum penitentiae eo loco est institutum, cum non sit aliud Apostolis dari potestatem remittendi peccata in hoc Sacramento, quam instituere tribunal, in quo sacerdotes possent certo ritu, & modo ius dicere, & peccatores vel absolueret, vel, si res ita postularet, eisdem absolutionem negare, cum huiusmodi tribunal non fuerit antea institutum.

Porro non solum videtur eo loco data potestas absoluendi, & ita pars huius Sacramenti instituta, sed totum Sacramentum quoad omnes suas partes: cum enim omnino sit asserendum hoc Sacramentum quoad omnes partes esse à Christo institutum, seu Christum designasse omnia, quae ad huius Sacramenti constitutionem pertinerent, dicendum etiam alias partes Sacramenti penitentiae ab eodem designatas, & verisimilius est id factum praedicto loco Ioannis, & sub vna parte euangelistae subintellexisse alias, quas ex sententià Ecclesiae constat ad hoc Sacramentum pertinere. constat enim non omnia quae agnoscuntur ad Sacramentorum rationem pertinere, enarrata fuisse ab Euangelistis, quod hic contigit, & videtur factum quod ad institutum Euangelistae non magis operetur faceret alias partes recensere, sed iuxta sententiam suam narrationis solum agere de absolutione, seu potestate peccata remittendi.

Confirm. quia Trident. sess. 14. cap. 5. docet institutionem huius Sacramenti vniuersam Ecclesiam semper intellexisse institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem.

DV BIV M. III.

Vtrum hoc Sacramentum sit ad salutem necessarium?

Id in re ipsa negauit Petrus Oxoniensis, praedicti dubio citatus, in 1. sua propositione, censens

lens peccata mortalia quantum ad culpam, & poenam alterius sæculi deleri per solam cordis contritionem sine ordine ad clauas, ex eo enim aperte patet illum existimasse hoc Sacramentum non esse ad salutem necessarium: si enim neque attingat culpam eam remittendo, neque ad culpæ remissionem requiratur ullus ordo ad clauas, conficitur hoc Sacramentum neque re susceptum, neque in voto esse ad salutem necessarium, cuius contrarium passim traditur in Ecclesia, unde Resp. &

Dico Sacramentum pœnitentiæ lapsis in peccatum mortale post baptismum est ita ad salutem necessarium, ut nullus possit consequi remissionem peccati mortalis post baptismum commissi nisi per actuale susceptionem huius Sacramenti, vel saltem per votum eiusdem.

Probatur 1. ex cap. 20. Ioannis: *Quorum remissionis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Eo loco ita datur potestas sacerdotibus remittendi peccata, ut etiam illis concedatur potestas ex causâ retinendi, quod facere non possent, si aliis esset liberum ea subiicere clauibus vel non subiicere, atque adeo si homines possent absque ordine ad clauas consequi remissionem peccatorum mortalium commissorum post baptismum, ergo Sacramentum pœnitentiæ est necessarium ad salutem modo explicato.

Confirm. quamuis peccatum veniale remitti possit per Sacramentum pœnitentiæ, ideo tamen hoc Sacramentum non est necessarium ad illius remissionem, quia ita remitti potest, ut homo non teneatur illud clauibus subiicere.

Probatur 2. per institutionem huius Sacramenti erectum est in Ecclesia tribunal ordinarium pro iis, qui in mortale lapsi fuerint, ergo fideles peccatores non possunt aliter consequi remissionem peccatorum, quam per hoc Sacramentum, vel saltem per eius votum, antecedens probatur ex Trident. sess. 14. cap. 5. docente Christum Dominum è terris ascensurum ad cælos sacerdotes sui vicarios reliquisse, tanquam præfides, & iudices, ad quos omnia crimina deferantur, in qua Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clauium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.

Dixi vel saltem per votum eiusdem, quia hoc Sacramentum non est ita necessarium, ut nullus possit consequi remissionem peccatorum absque actuali illius susceptione, cum per veram contritionem illam consequi possimus ante actuale susceptionem Sacramenti, ut patet ex Trident. sess. cit. cap. 4. hoc tamen casu homo non iustificatur sine ordine ad clauas & absque voto huius Sacramenti, ut Trident. cap. cit. docet, dicens: licet contingat hominem per contritionem charitate perfectam reconciliari, antequam hoc Sacramentum actu suscipiatur: ipsam tamen reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam.

Ex his colligitur 1. quod Sacramentum pœnitentiæ sit necessarium ad salutem. vbi

Aduerte, quia peccata non dimittuntur sine ordine ad hoc Sacramentum, hominem debere confiteri peccatum mortale in quod post baptismum lapsus est, quantumcunque illius veniam sit consecutus, ita ut si negligat illud confiteri, quo tempore vrget confessionis præceptum, & datur copia confessarij, grauiter peccet. patet ex eo quod sacerdotes fuerint constituti iudices, ad

quorum tribunal omnia mortalia post baptismum commissâ deferri debeant.

Colligitur 2. hoc Sacramentum in re, vel voto susceptum esse necessarium necessitate mediij non tantum eo sensu, quo mandatorum observatio saltem in voto est necessaria, sed quadam peculiari ratione, scilicet tanquam medium necessarium ad veniam & remissionem peccatorum consequendam. quo sensu observatio mandati cuiusvis, vel etiam propositum non potest censei medium ad salutem necessarium, quamuis enim propositum seruandi mandata possit à peccato exonerare, non tamen per illa singula, vel eorum observationem potest acquiri peccatorum remissio, ut patet in peccatore dante elemosynam, vel ieiunante &c. tempore præcepti, unde huiusmodi observatio præcisè loquendo non potest dici medium sufficiens ad acquirendam remissionem peccatorum: Sacramentum verò pœnitentiæ est medium institutum ad huiusmodi veniam obtinendam saltem in voto, & ita hoc Sacramentum saltem in voto est necessarium necessitate mediij iis, qui post baptismum in mortale sunt prolapsi.

Notandum verò, quod licet aliqui votum illud explicent per expressam confessionis desiderium: sufficiat tamen implicitum non cogitanti de confessione, nam Concil. Trident. cap. 4. cit. docet hoc votum in ipsâ contritione includi: quia nimirum contritio est tam perfectus charitatis actus, ut saltem implicite includat propositum seruandi Dei mandata, atque adeo suscipiendi hoc Sacramentum suo tempore.

Confirm. actus contritionis potest inueniri sine hoc explicito desiderio, cum desiderium confitendi habeat aliud obiectum, cuius potest non occurrere memoria detestanti sua peccata, & de illis dolenti propter Deum, qui dolor non ideo definit esse legitima dispositio ad iustificationem, & veniam peccatorum obtinendam.

D V B I V M I V.

Quæ sint partes huius Sacramenti?

IN QVIRIMVS de partibus physicis necessariis ad substantiam huius Sacramenti, vel saltem conducentibus ad eius integritatem, ita ut si ne illis vel non inueniatur substantia Sacramenti, vel saltem illud non habeat ultimam suam perfectionem integram.

Scotus distinct. 14. qua st. 4. §. de primo, describit pœnitentiæ esse absolutionem hominis pœnitentis, factam certis verbis cum debita intentione prolatis, ita ut, quantum patet ex sequentibus, velit solam absolutionem pertinere ad rationem huius Sacramenti, contritionem autem, & confessionem solum esse præuias dispositiones ad absolutionem, & pœnitentiæ Sacramentum.

Sotus eadem distinct. qua st. 1. artic. 1. §. igitur congruentius est, & contrario existimat absolutionem non esse partem huius Sacramenti, sed solos actus pœnitentis, connotando talem formam. Ducitur autem argumento aliàs à nobis relato, quod forma in artificialibus non sit pars rei, sed quod, quando de eorum partibus est sermo, solum intelligantur partes materiales.

Tertia sententia, eaque communissima Doctorum tenet tam actus pœnitentis, quam absolutionem esse partes huius Sacramenti: hanc quidem ut formam, actus verò pœnitentis,

Fff 3

tanquam

16.
Coroll. 2.

17.

Votum implicitum confitendi sufficit non cogitanti de confessione.

18.
Sensus dubij.

Scotus ita describit pœnitentiæ quasi sola absolutio pertinet ad rationem Sacramenti.

Sot. existimat absolutionem non esse partem.

Tertia vult & actus pœnitentis, & absolutionem esse partes

tanquam materiam proximam, & ex qua hoc Sacramentum componitur, quod indicat S. Thom. q. 90. art. 2. in corpore. pro quo

19.

Remota materia nō est pars huius Sacramenti.

Notandum primò, duplicem materiam solere in hoc Sacramento assignari: vnam remotam, alteram proximam, vt videre est apud S. Thom. q. 84. art. 2. ex remotâ non componitur Sacramentum, neque illa est pars huius Sacramenti, sed est materia circa quam actus pœnitentis & sacerdotis versantur, & ad cuius destructionem tendunt. huiusmodi materia sunt peccata, in quæ homo post baptismum lapsus est, omnia enim peccata, quæ homo post baptismum commisit, possunt iudicio pœnitentiæ subijci, siue sint mortalia, siue venialia, & mortalia quidem necessariò sunt subijcienda, venialia verò liberè. proxima materia est materia, ex qua hoc Sacramentum componitur, completiturque actus pœnitentis contritionem, confessionem, satisfactionem. vbi

20.

Satisfactio est pars tantum integralis.

21.

Conclus. actus pœnitentis & absolutionem esse partes. Prob. 1. Contra Scotum.

Notandum 2. Doctores sentire hos actus ita esse materiam huius Sacramenti, vt sine contritione saltem imperfecta, & confessione nullo modo inueniatur substantia Sacramenti, possit verò inueniri sine satisfactione, quæ potest tempore subsequi absolutionem, & potissimum ordinatur ad deletionem penæ, vnde solum est pars integralis, conducent ad plenum, & perfectum effectum huius Sacramenti vt innuit Trid. sess. 14. cap. 3. his præmissis

Dicendum cum tertiâ sententiâ tam actus pœnitentis descriptos, quam absolutionem sacerdotis esse partes huius Sacramenti.

Probatur 1. contra Scotum, quoad actus pœnitentis, Concilium Flor. vocat illos quasi materiam, quod repetit Tridentinum cap. 1. cit. imò vocat partes, & sub finem capitis addit: *Hæc de partibus & effectibus huius Sacramenti sancta synodus tradens &c.* ergo iuxta Concilia non sola absolutio intrinsecè pertinet ad rationem huius Sacramenti.

Prob. 2.

2. Conc. Trident. cap. cit. satis apertè indicat, inesse vim quandam in actibus pœnitentis ad effectum huius Sacramenti, ergo iuxta mentem Concilij huiusmodi actus pertinent ad substantiam Sacramenti. antecedens probatur ex eo quod dicat vim præcipuè sitam esse in forma Sacramenti pœnitentiæ, vbi indicat etiam in alijs actibus eo capite enumeratis residere, quæ huius minus præcipuè: nihil autem eo capite enumeratur, in quo post absolutionem hæc vis dici possit residere præter actus pœnitentis. consequentia verò argumenti probatur, Sacramentum est causatiuum gratiæ, & sui effectus per suam entitatem, nihilque aliud requirit per modum causæ ad suum effectum conferendum, quàm id quod necessarium est ad eius substantiam, vel integritatem, vt facillè potest patere in alijs Sacramentis.

Prob. 1. contra Scotum.

Probatur eadem conclusio contra Scotum 1. quod Conc. Trid. cap. cit. non obscurè indicet formam absolutionis esse partem intrinsecè constitutam huius Sacramenti: cum dicat in eâ præcipuam Sacramenti vim sitam esse, ergo iuxta argumentum iam factum est pars Sacramenti. quod argumentum eo maiorem vim habet contra Scotum, quod consimili modo argumentetur contra Scotum, vt probet actus pœnitentis esse partes Sacramenti pœnitentiæ.

Prob. 2.

2. Ex eo quod Sacramentum pœnitentiæ sit quoddam iudicium; de ratione autem & substantiâ iudicij sit forma à iudice prolata, confirmari

potest ex eo quod S. Ioannes Euangelista volens describere tribunal in Ecclesiâ erectum, videatur debuisse insinuare aliquid ad illud pertinens, nihil autem insinuauit præter absolutionem. Neque ratio Soti in contrarium allata magnopere virget. quamuis enim absolutio respectu actuum pœnitentis dicatur forma; nihilominus verba absolutionis comparata cum suâ significatione ex instituto possunt dici materia, & proinde analogia Sacramenti cum ente artificiali non obstat quo minus forma absolutionis possit dici pars Sacramenti tanquam aliquid physicum assumptum, vt vni cum actibus pœnitentis causet gratiam, & remissionem peccatorum.

Pro sententiâ Scoti potest obijci 1. quod contritio non sit sensibilis.

Respondeo non esse necesse quamlibet partem Sacramenti seorsim sumptam esse sensibilem, sufficit vt possit sensu percipi per aliam, quam respicit; contritio autem hoc modo redditur sensibilis per confessionem, ad quam dicit ordinem: nam confessio sacramentalis non est nuda narratio & commemoratio peccatorum, sed accusatio peccati, quæ vt sit legitima, requirit aliquem tandem eiusdem dolorem.

Obijciatur 2. quod Concilia agentia de actibus pœnitentis, dicant eos esse quasi materiam.

Respondeo particulam, *quasi*, non esse alienantem, neque Concilia per eam velle designare illos actus non se habere per modum materiæ intrinsecè concurrente ad constitutionem Sacramenti, sed ita loqui, vt insinuent in hoc Sacramento non assumi aliquam externam materiam, & sensibilem substantiam, vt in alijs Sacramentis contingit. Porro in hoc Sacramento non adhibetur materia externa, quia est quoddam iudicium, quod perficitur accusatione, & confessione rei, & sententiâ iudicis. videri potest S. Thom. q. 84. art. 1. ad 1. qui aliam huius rei assignat rationem, sed hæc est planior, & facilior.

Obijciatur 3. si actus pœnitentis sint partes Sacramenti pœnitentiæ, & causatiui gratiæ vna cum forma, pœnitens poterit dici minister huius Sacramenti, atque adeo peccatum sibi remittere; consequens autem est absurdum, eum iuxta Concilia minister huius Sacramenti sit sacerdos. sequela probatur: qui profert formam est minister, & dicitur peccatum remittere, quia applicat instrumentum collatiuum gratiæ, ergo propter eandem rationem pœnitens dicitur minister.

Respondeo negando sequelam, eiusque probationem. nam cum hoc Sacramentum sit quoddam iudicium; reus autem in iudicijs non dicitur seipsum reconciliare, neque in eâ causâ dicitur index, sed is qui profert sententiam, in præsentem dicendum neque pœnitentem debere dici ministrum huius Sacramenti, neque sibi peccatum remittere, sed sacerdotem. non quia quacumque ratione applicat causam gratiæ, sed quia fert sententiam absolutionis, & reus sese sinit ius iudicio, vt absoluitur, vel ligetur. idem videre est in humanis iudicijs, in quibus is dicitur minister iudicij, qui profert sententiam, non verò is qui reus sinitur, quantumvis ex eius actibus etiam componatur iudicium.

D V B I V M V.

Vtrum in Sacramento Pœnitentiæ assignetur Sacramentum tantum, Sacramentum & res simul, & res tantum?

RESPONDEO breuiter posse assignari, vt communiter doctores. Sacramentum tantum assignantur confessio, & absolutio, quæ ita aliud significant, vt hæc ipsa per aliud non significantur. Sacramentum, & res simul constituitur contritio, quæ significatur per confessionem, & absolutionem quatenus legitima confessio debet ex aliquo interiori dolore procedere, vt super tali confessione impendatur absolutio, & ita dicitur res, quæ ipsa dicitur etiam Sacramentum, quia significat peccatorum remissionem. res tantum est ipsa peccati remissio. videri potest S. Thom. q. 84. art. 1. ad 3. vbi

Notandum quod in plerisque alijs Sacramentis id quod est Sacramentum & res simul, sit extrinsecam rationem Sacramenti, prout est instrumentum causatum gratiæ: in presenti tamen secus accidat, vt patet ex superiori dubio, vbi ostendimus contritionem esse partem intrinsecam Sacramenti pœnitentiæ. S. Thom. responsione ad 3. citat a ait: *Quorum primum totum simul sumptum est causa secundæ: t. autem, & 2. sunt quodammodo causa tertiæ.* quibus verbis videtur significare confessionem, & absolutionem esse causam contritionis, quod tamen falsum est, cum potius contritio sit causa confessionis: nam peccator perpendens sua peccata, & de illis dolens ex huiusmodi dolore excitatur, vt ea per confessionem clauibus subiciat.

Varij laborant in explicandâ eâ S. Thom. sententiâ, & dicunt aliqua planè improbabilia, vt videre est in Caietano art. S. Thom. cit. Soto dist. 14. q. 1. art. 1. in fine.

Sed videtur posse commodè responderi si dicamus S. Tho. per illa verba: *quorum primum totum simul sumptum est causa secundæ*, noluisse significare confessionem, & absolutionem esse causam ipsius cognitionis secundum suam substantiam, sed solum quod contritio ex coniunctione cum confessione, & absolutione peculiarem vim habeat circa gratiam sanctificantem, & ad remissionem peccatorum operandam. nam in quantum illis coniungitur, habet vim ex opere operato gratiam conferendi, & remittendi peccata, etiam si fiat in gradu attritionis, nec pertingat ad perfectionem contritionis strictè sumptæ: quod si sit contritio, ex virtute clauium recipit virtutem ampliorem gradum gratiæ conferendi, quam ipsa seorsim causaret. cum dico recipere virtutem &c. non volo absolutionem nouam vim physicam, seu qualitatem ipsi actui contritionis perfectæ, vel imperfectæ imprimere, sed solum intendo ultra id quod ex opere operantis poterat, per coniunctionem cum dictis partibus eleuari ad gratiam ex opere operato conferendam, & moraliter loquendo id recipere ab alijs partibus, præsertim absolutione, in quâ residet vis præcipua huius Sacramenti.

Hæc explicatio videtur plana, & facilis, nec vllas patitur difficultates, quas patitur Caiet. loco cit. qui censet attritionem virtute absolutionis fieri contritionem, quod est contrâ experientiam, cum plerique accedentes ad hoc Sacramentum non censeant vllam sui actus mutationem quando

eis impenditur absolutio. adde quod ea impendatur ijs, in quibus non potest vllō modo fieri hæc mutatio, vt priuatis ratione, dum absoluuntur. cuius etiam incommoda, in quâ incidit Sotus supra dicens contritionem formatam esse causam remissionis peccati, cum contritio formata gratiâ non possit dici causa formalis, vel etiam efficiens remissionis peccati, nam iuxta hanc considerationem non potest dici causa gratiæ, & proinde nec remissionis peccati, cum peccatum per gratiam expellatur.

D V B I V M VI.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ possit iterari? A fortiori id negarunt hæretici, de quibus dubio 1.

SE D certâ fide tenendum est hoc Sacramentum posse ab eadem personâ iterari: quia vnus, & idem post receptum hoc Sacramentum potest labi in peccatum, imò labi in mortale, cuius veniam consequi non potest sine ordine ad clauis, vt est de fide, ergo hoc Sacramentum potest iterari. patet etiam ex praxi, & sensu Ecclesiæ, & suadet ratio: hoc Sacramentum est institutum per modum iudicii, ad quod deferantur causæ hominum, quibus Deum offenderint; natura autem iudicii patitur, vt vnus & idem sapius in eo sisti possit absolvens, vel condemnandus; nihil autem habemus in scripturis, vel traditione quo nobis indicetur id fieri non posse in iudicio pœnitentiæ: item Christus instituit hoc Sacramentum tanquam medicinam spiritualem; medicina autem potest sæpius applicari ijs qui in morbos incidunt, decuit ergo diuinam misericordiam huiusmodi medicinam instituire vt homines qui moraliter loquendo non possunt vitam diu transigere sine peccato, eâ sæpius vt possint. quæ rationes ostendunt hoc Sacramentum posse iterari respectu diuersorum peccatorum, non verò ostendunt posse iterari respectu eiusdem, quod tamen fieri posse docet praxis fidelium, & infra explicabitur.

Contrâ potest obijci quod Ambrosius lib. 2. de pœnitentia cap. 10. citatis à D. Thom. q. 84. art. 10. in 2. argumento censet pœnitentiam repeti non posse.

Resp. cum S. Thom. responsione ad 2. Ambrosium eo loco agere de pœnitentia solemnī in antiquâ Ecclesiâ vsurpari solitâ, quæ non solebat iterari.

QVÆSTIO II.

De contritione prima parte huius Sacramenti.

D V B I V M I.

Vtrum aliqua contritio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ?

R

ESP. affirmatiuè, patet ex Concilio Flor. decreto de Sacramētis, & ex Trid. sess. 14. cap. 3. & canone 4. de pœnitentia: idque factum est à Christo conformiter naturis rerum, nam Sacramentum pœnitentiæ

27.

Conclus.
affirm. Catholica.

Obiectio 1.
Ambros.

Resp.

28.

Resp. affir.
Florent.
Trident.